Schedel Nicolai Alex. Gustus Iovis seu Encomium M. Ioanni Gostumiowski — adaptatum.

Cracoviae 1665


Biblioteka Jagiellońska
stdr0004929

GVSTVS IOVIS
SEV
ENCOMIVM
Excellentissimo, ac Doctissimo Viro, Domino,
M. IOANNI GOSTVMIOWSKI,
Philosophiæ Doctori, & Professori,
In Alma Vniuersitate Cracouiensi,
Contubernij Gelanij SENIORI
Pro tunc
Ad Minus Collegium Vocato
COLLEGÆ
Ipso die Disputationis.

A

NICOLAO ALEX: SCHEDEL, Cursûs Philosophici Audit.
Amoris, & Obseruantiæ ergò
ADAPTATVM.



Anno Domini 1665. Mense Septembri.

S T E M M A

Almæ Vniuerſitatis CRACOVIENSIS.



En Diadema Tui ; quod Regnum nobile, honoris
Obtulit : ac meritos hoc decorare ſolet.



PRÆCONIVM GRATVLATORIVM.



Oui honoris, & dignitatis faustiſsimam acceſsionem, quanto poſsum Tibi gratulor affectu *Excellentiſſime Domine Profeſſor.* & licèttenues ingenij,&genij,tùm debiles facundiæ ſint vires : magìs tamen officioſum eſſe duxi, vel balbutiendo debitam erga Te mei animi declarare obſeruantiam ; quám de verborum; ſententiarumq; inopiâ contriſtando, obmuteſcere. Dum enim ſpectaui copioſum numerum gratulantium Tibi, erubui ſanè, prænoſcens me priùs (qui omni tuâ ſum deuinctus beneuolentiâ) debitum virtuti, ac meritis ſtipendium perſolutum debere gratulari. Recipio itaq; animum ad deprædicanda Dignitatis Tvæ præconia, quâ in extollenda ſuſpicor ſufficere poſſe propenſionem meam. Tentabo

tabo nihilo minùs, cùm ſim eâ concitatus lætitiâ, quæ nullatenus me diſsimulare, nec Harpocraticum obſeruare ſilentium, permittit. Et cùm optimè ſciã, ex difficilibus, diuturniſq; laboribus, tandem maximam prouenire laudem, perpetuamq́; reſilire memoriam, non dubitaui & ego ea hîc recenſere, quæ in te ſunt iam perfecta, omnique numero abſolutiſsima: quandoquidem ad eum deueniſti virtutis faſtigium, vt iuſto, & digno præmio afficiaris.

Tantùm enim TVA apud omnes inclaruit virtus, eaq́, tantùm promeritus es: vt non ſit qui recuſet, primam porrigere gloriæ coronam; ſiquidem tanta TIBI eſt animi modeſtia, quantam in nullo reperire par eſt, quæ altiorum TE quaſi fugacem reddens, ipſe vt perſequatur honor effecit: in quo expletur illud veritati conſonum Senecæ effatum.

Laus vera humili, ſæpè contingit viro.

Et non immeritò, cùm vbiuis virtus ſuum expoſtulet præmium, ſolatium labor, quem TV. *Excellentiſſime Domine*, ſummâ cum alacritate, informando animos ſtudentium ſuſtinuiſti; tum & hodiè non minùs, cum quadam dexteritate, & promptitudine, laborioſam Profeſsionis Aſtrologicæ ſpartam exornaſti.

Per-

Perſpecta ſanè vnicuiq; tua ſedulitas, nota luculenter perſpicacia in prænunciādis euentibus, quam vniuerſum admiratur vulgus, dum ex vi Cæleſtium ſiderum, ac ſignorum, quorum mirabiles effectus in hoc ſublunari conſpiciuntur mundo, Tv expreſsiſsimè, dicam Opticè, nam iudiciosè collegiſti, & vniuerſo Orbi Cæli myſteria aperuiſti. Spectauimus annis ſuperioribus concurſus malignorum Planetarum, Saturni, & Martis, in ſignis aduerſis exiſtentium, conſpeximus non ſine graui formidine Martis cum Mercurio radios, admirati ſumus Veneris cum Mercurio coniunctionem, & ex tali Stellarum conſtitutione, euidentiſsima mutationis deduximus argumenta. Quid enim portendebant illæ tempeſtatum varietates? quotannis fluuij vndis intumeſcentes? frequentiſsimæ aquarum eruptiones? peſtilentiæ vrbes & oppida vaſtantes? inſignis annonæ penuria? bella tam externa, quàm interna, quid quæſo indicabant? an non dominia Planetarum, & vires aſtrorum occultas, à quibus tanquam cauſis, ſicut diſsimilitudo regionum, ita ingeniorum, & morum varietas prouenit. Monſtrâſti ſatis Orbi Sarmatico eruditæ mentis tuæ ſpecimina, quando ex abditis Matheſeos penetralibus deprompſiſti documenta, &

admi-

admirandos effectus in Opuſculis Aſtrologicis declarâſti. Promeruit infracta virtus Tva ampliſsima Virorum literatorum elogia, & eò maiora ſumet honorum incrementa, quò grauiora in puluere Mathematico munera ſuſtinebit. Liceat mihi per vires incultæ meæ eloquentiæ. Te appellare Palmam, ſicut illa luxuriat ramis, & folijs, & quò magis vrgetur ponderibus, eò pullulat vberiùs, & aſurgit altiùs: ita generoſus genius Tvvs, literis humanioribus benè excultus quamuis deprimatur oneroſis laboribus: euadit tamen viuacior, & feliciora ſumit augmenta. Porrexit tibi facem ad ardua quæq; attentanda, magni nominis Conſanguineus Tvvs, & ad Muſarum, Gratiarumq; allexit ſacraria, piæ memoriæ Clariſsimus, & Excellentiſsimus Lavrentivs Smieszkowic, Philoſophiæ, & Medicinæ Doctor, & Profeſſor, Digniſsimus Studij Vniuerſitatis Cracouienſis Procancellarivs, atq; Generalis RECTOR Vigilantiſsimus. Non ego hîc recenſebo vniuerſa iſtius ornamenta; deprædicant eum Athenæ Patauinæ, dum ſub principe Medicorum Syluatico prenſabat lauream Doctoralem, deprædicat Vrbium Regina Roma dum VRBANO VIII. Pontifici Maximo ob ſuam Poeſim gratiſsimus erat: gloriatur Sarmatia; dum

dum Sereniſsimo, ac Inuictiſsimo VLADISLAO IV. REGI Poloniæ ob eruditionem verè amabilis extiterat. Frater verò Tuus germanus GREGORIVS CASIMIRVS, in Collegio VLADISLAVIANO olim Nouoduorſcianus Profeſſor, magnum tibi præbuit incitamentum, vt bonis inuigilares ſtudijs, & tritam Virorum eruditorum non deſereres orbitam.

Eluceſcit in te, *Excellentiſſime Domine*, rediuiua Maiorum Tuorum virtus, dum ijſdem inſiſtis paſsibus, quibus ij, ad altiora honoris culmina peruenerunt. Adeſt Tibi indefeſſum in Mathematicis diſciplinis ſtudium, adſunt acres ingenij motus ad arcana Philoſophiæ perſcrutanda perquàm habiles, & expediti, viget firma, & tenax memoria, ſuada in ore diſerto regnat, & quod ſummum eſt, aſsiduus Tibi adſtipulatur labor, qui gloriæ tuæ nunquam interituræ verus artifex permanebit. Teſtis eſt euidentiſsima eruditionis Tuæ præſens Quæſtio Optica, de modo illuminationis Lunæ, luci exhibita publicæ, quæ indicat Te inſignes inſtituiſſe progreſſus in Mathematico ſtudio. Ardua hæc Quæſtio & perplexa, lumen ab ingenio Tuo delibat, nimirum, facilitatem, ſuauitatem, & veram cognitionem. Virtutique tuæ ac laboribus Herculeis ampliſsimum præmiũ & honores

nores

nores pollicetur. Sed ne in longum progrediar, terminos Syncharmati gratulatorio præfigo; patet enim amplissimus campus quem decurret mea agrestis Musa, interea *Excellentissimæ Dominationi* Vestræ sublimem honorem, in Alma Vniuersitate obtentum, ex animi sententiâ gratulor, & apprecor, illud Venusini Vatis ingeminando Acroama.

I bone, quo virtus Tua Te vocat, i pede fausto
Grandia laturus meritorium præmia.

Meum verò propensum animum, singulari complectere beneuolentiâ, vota de intimo promanantia corde, hilari vultu, & fronte exporrectâ intuere, laudis encomia intra angustias temporis concinnata, eaque obscura illumina; & quod Poëtico animatum est spiritu Anagramma, ingenio Tvo tanquam aurâ vitali recrea. Hæc sunt beneuoli mei affectûs argumenta, Tibi, & Tuæ virtuti exhibita: hæc propensionis symbola, & vectigalis obseruantiæ indubitata monumenta.

Ad Cognomen *Excellentissimi Domini*, concinnatum Anagramma

GOSTVMIOVIVS,

id est

GVSTVS IOVIS



Nectar & ambrosiam dederat Tibi docta Mathesis,
Tu GVSTVS IOVIS *es; Volue Anagramma meum.*

